in quibus habeant copiam pascuorum et aque et alias bene et salubriter esse possint, et specialiter in locis, in quibus esse consueverunt tempore quondam imperatoris Friderici et felici tempore nostro sub magistratu dicti Perrotti, statuas et facias commorare. ~~damus~~ damus quoque tibi plenariam potestatem amovendi prepositos araciarum ipsarum et substituendi in eodem servicio alios sufficientes, si expedire videris, ydoneos et fideles in numero, quo fuerunt et esse debuerunt in eisdem araciis, consideratis numero et qualitate animalium et araciarum ipsarum hactenus, iuxta statutum curie ordinati, per quos servicium ipsum bene et diligenter fiat ad curie nostre comodum et profectum, nostra tamen curia tibi totaliter incumbente de araciis ipsis, et quod singula animalia araciarum ipsarum bene et utiliter procurentur, etiam quod ex ipsorum fetibus utilitatem, quam decet, ac bonam et fertilem nostra curia consequatur. De omnibus vero iumentis stacckis pultris pultrabus, cuiuscumque sint temporis, stallonibus mulis et mulabus asinis et asinabus ac omnibus aliis animalibus araciarum ipsarum per pilaturas balsanaturas et mercaturas eorum, utensilibus quibuslibet, servis rebus et iuribus omnibus earumdem araciarum, que ab eodem Perrotto et socio eius, si socium habeat, receperis, fieri volumus quattuor scripta puplica consimilia, continencia: numerum, qualitatem et tempus iumentorum ipsorum staccarum pultrorum et pultrarum stallonum et asinorum mulorum et mularum et quorumcumque aliorum animalium ipsarum araciarum per pilaturas balsanaturas signa et merca eorum et qualitatem et quantitatem eciam rerum aliarum omnium et iurium araci-